xlh.

RECENSIO

LIBELLI INSCRIPTI:

E PAPE ET LE CONGRÈS

PARISIIS VULGATI

ADUMBRATA

A

FRANCISCO MILAŠINOVIĆ

METROPOLITANAE ECCLESIAE ZAGRABIENSIS CANONICO

IDIBUS JANUARII

ANNO 1860.

ZAGRABIAE,

TYPIS DOCTORIS LUDOVICI GAJ

1 8 6 0.

Illi, qui vera pietate praediti bene vivunt, si habent scientiam regendi populos, nihil est felicius rebus humanis, quam si Deo miserante habeant potestatem. S. Augustinus L. 5. de Civitate Dei Cap. 19.

Quis sit libelli inscripti: „Le Pape et le Congrès“ auctor, id nondum certo constat. Utrum monstrosus eiusdem foetus e privato solum cerebro, vel etiam publico politicae Gallicanae armamentario prodierit in lucem, suspicari fundate licet, effari haud expedit. Illud vero e stigmate fronti cunctisque paginis impresso cernitur, sufferri illic signum religiosae ac civilis perturbationis minacissimum, nique Dominus custodierit civitatem, temporali ac spirituali populorum saluti perniciosissimum. Itaque missis quibuslibet aliis adiunctis, de solo argumento libelli aget omnis recensionis huius ratio et oratio. Qua in re quum duodecim punctis argumentum comprehendatur, par est, ut totidem punctis respondeat tentata recensio.

I.

Primo puncto auctor libelli profitetur, se sincerum esse Catholicum, velleque sine passione versari in discutienda quaestione de civili Romani Pontificis territorio. Duas autem praemittit sententias. Unam

illorum, qui civilem Papae dominationem tanto odio detestantur, ut ruinam eiusdem manifestis desideriis ac votis conclament. Alteram illorum, qui istam civilem maiestatem dogmatis instar consideratam ne digito quidem commoveri patiuntur. Inter utramque e diametro sibi oppositam sententiam auctor mediam sibi proponit viam confisus, posse Romano Potifici hereditarium patrimonium S. Petri inviolatum servari, quin oporteat subiectos cives (alioqui malis artibus conturbatos) adhibita vi compellere ad agnoscendam auctoritatem, quae iisdem Dei nomine praeest. Si hoc conciliare successerit, magnum inde Politicae et Ecclesiae triumphum promittit. Hoc in proposito dum juribus populorum et religionis emolumentis parem nuncupat observantiam, una protestatur contra antagonismum, ad quem damnantur illi, qui ex oppositis obtutibus progrediendo mutuo sibi adversantur.

Quid dignum tanto feret hic promissor hiatu? Catholicum sincerum se dicit esse, et tamen non vult censeri antagonista illorum, qui civilem Papae dominationem in suo legitime acquisito territorio radicitus convelli et excindi cupiunt. Vult Pontificem Maximum in possessione patrimonii S. Petri illaesum conservari, laesionis vero auctores, erraticos seditionis apud subditum populum praecones, exteros supremae inibi potestatis usurpatores exturbari, populum extrinsecus ad rebellionem concitatum in rectum ordinem, quietem, justamque paritionem revocari, laesum possessorium necessaria coactione revinci non vult. Vult finem sine justo ac necessario medio. Vult et non vult. Quis non in hoc ipso libelli exordio odoratur anguem occulte latentem? Quis non extimescat larvatam astutiam, cauda blandientem, faucibus praedae inhiantem? Quis non ominetur istum futurum Statui Pontificio, ac universae Ecclesiae Catholicae dolosum operarium? Sed videsis, quid porro dicat?

II.

Secundo puncto instar principii statuit, fundamento tum catholicae doctrinae, tum prudentiae statisticae necessariam esse Papae temporalem potestatem, idque ad exercitium potestatis spiritualis. Ad substantiam etenim fidei pertinere, ut Papa sit supremum Ecclesiae Caput. Rationes politicas exposcere, ut hoc supremum Caput, quod 200 Catholicorum Millionibus praeest, ad nullam spectet nationem, nulli subsit potestati, nullis humanae dependentiae vinculis teneatur constrictum, verum omni partium studio maius et usquequaque augustum emineat. Si Papa non foret independens, tum profecto oporteret fieri, ut sit vel Gallus, vel Austriades, vel Hispanus, vel Italus. Sic autem character nationalis exstingueret in illo characterem sacrae universalis suprematiae. Si Papa Parisiis, Vindobonae, vel Madriti degeret, respectivo terrae principi pro throni fulcro ancillari eum oporteret. Ardua fuisse olim tempora, quibus successor Petri gravissimum auctoritatis suae vulnus a sacro Germanico imperio illatum persensit. Unde turbatum morale ac politicum aequilibrium Europam diuturnis trium seculorum tumultibus involvit. Famosas in historia factiones Ghibellinorum et Guelphorum non fuisse aliud, quam totidem exantlata conamina, auctoritatem Pontificiam e praepotentia imperatoris Germanici emancipandi. Hodieque peregrinis his nominibus Pontifices iam Ghibellinos iam Guelphos vocitari, prout vel Austriaco imperio velificantur, vel contra pro natione Italica, sedisque suae independentia luctantur.

Quosvis magni nominis Papas fuisse Guelphos, quorum gloriae conditio in tuendo suo independente statu refulsit. Illos vero, qui cuicunque demum terrae principi gratificaturi propria se suprematia exuerunt, verum simul auctoritatis principium labefactasse. Quo facto non modo Ecclesia, verum etiam Europa vehementer fuit afflicta. Potestatem spiritualem, cuius prima sedes Roma est, non posse statu suo dimoveri, quin simul civilis potestas tum catholicorum, tum generatim christianorum statum succutiatur. Itaque Angliae, Russiae, Borussiae plurimum referre, ne huic Unitatis Catholicae moderatori undelibet seu vi, seu depressione, seu subiectione ullum praeiudicium inferatur. Nam cum Roma centrum sit universae moralis potestatis, interesse omnium principum et populorum, ut id continuo esse persistat reclinata supra firmam petram, viribus humanis inexpugnabilem.

Praeclarum oppido ac inconcussum principium! Vere hoc necessarium est, hoc salutare populis, hoc sanctum et inviolabile terrae principibus esse debet, ut civilis quoque Romani Pontificis potestas independenti jugiter auctoritate vigeat atque resplendeat. Sed auctor iniurius est in Austriam. Utinam ad confirmandum principium, cui refragari maximum foret piaculum, non una reticuisset illam veritatem historicam, quae perpetuis monumentis orbi testabitur, neminem unquam magis offecisse auctoritati Pontificum sacrae et profanae, quam Galliam.

Quis gnarus historiae nescit, astuta Philippi pulchri Galliae regis machinatione sedem Papalem Roma Avenionem translatam fuisse, atque Pontificibus Roma absentibus subiectos cives prima, quod constat, vice in tumultus concitatos tributa, obedientiam ac reverentiam negasse, imo supremae dignitati et auctoritati petulanter insultavisse? Quis ambigat, ex hac directe translatione secutum esse schisma pontificium, quo nihil exitialius vidit respublica sacra et profana, quodve subinde in Conciliis Constantiensi et Basileensi agente potissimum imperatore Romano-Germanico exstingui potuit? Aut obliteratane manere unquam poterunt seculi mox praeteriti gesta, in quibus praesentium sacram et profanam rempublicam immane divexantium malorum origo et causa delitescit? Flevit justitia, sana politica erubuit pudore suffusa, Ecclesia et universa civilis Europa quasi in fundamentis succussa contremuit, Deus maiestatis, idemque ultionum Dominus intonuit de alto coelo suo, quando iniquus ac violentus patrimonii S. Petri usurpator pacificum Christi in terris vicarium Pium VI. e propugnaculo sedis suae revulsum ceu miserrimum captivum de exilio in exilium raptavit, atrocissimis iniuriis afflixit, civilemque ejus principatum in suam suorumque consan-

guineorum ditionem arbitrarie redegit. Nemo usque adeo ad solis lumen coecutit, quin perspiciat, hoc ipso tempore fuisse positum illud pestiferum fermentum, quod apud subiectos Pontifici cives in istam, cui remedium suspiramus, seditiosae luis calamitatem etiamnum despumat.

Non est igitur aequum, depressae Pontificiae auctoritatis crimen in Austriam devolvere, cuius profecto reatus potior rite defigitur in illo impie succenso politicarum technarum barathro, e quo vibratae scintillae communem anni 1848. perturbationem excitarunt, Chersonesum Tauricam ferro igneque vastarunt, nuperque admodum iniustissimum Sardo-Gallicum bellum inflammaverunt. Neque fallor, si adfirmem, peraeque istum, quem recenseo, libellum in eodem barathro excoctum efferbuisse in lucem. At enim persequamur ultro auctorem libelli, ut appareat, an praestabilito insistat principio? quemadmodum sibi in dissertatione sua constet?

III.

Tertio puncto fidenter ingeminat, ex duplici obtutu religiosi quippe et civilis emolumenti demonstratam esse necessitatem temporalis in Summo Pontifice maiestatis. Sed iam fluctuat, iam a principio in subterfugia delabitur, dum anxie quaerit: in quo proprie ista civilis Papae potestas consistere deberet? Qua ratione fas sit auctoritatem catholicam dogmati innixam conciliare cum auctoritate pactione acquisita, publicisque moribus, humanis studiis, socialibus indigentiis superstructa? Qui possit Papa simul esse et Pontifex et rex? Idem vir Evangelii, qui ignoscat, esse vindex legis, qui puniat? idem Caput Ecclesiae, quod haereticos excommunicat, esse Caput reipublicae, quod autonomiam (libertatem conscientiae) civium defendat? Est quidam, inquit author, antagonismus inter Pontificem et civilem principem, si utraque auctoritas in una eademque persona coalescat. Ille (Papa) pricipiis divinae ordinationis firmiter insistat: hic (princeps) postulatis socialibus velificetur oportet. Quis itaque detur

modus efficiendi, ut hae difficultates dispareant, civilisque Pontificum maiestatis independentia cum vadimonio anctoritatis in tuto constituatur, quin suapte jura conscientiae in Pontifice laedantur? Modum hnnc determinaudi praesidia in consuetis regiminum formis sive monarchica, sive republicana, sive despotica, sive prorsus liberali frustra quaesiveris. Nihilominus auctor libelli talem suo ingenio proponit modum:

Potestas, ait, Papae mere paterna esto, similiorque domesticae patrifamilias propriae, quam veri nominis regiae. Quocirca non modo non requiritur, ut territorium late extensum habeat, verum potius essentialiter postulatur, nt quo magis restrictum possideat. Quo minus territorinm, eo ille maior erit princeps. Enimvero amplum territorium talibus urgetur conditionibus, quibus Papa satisfacere nequeat. In amplo territorio viget vita politica, institutiones perficere, in communi progressu idearum partem capere, e vicissitudinibus temporum atque cultura scientiarum fructus decerpere omnes gestiunt. Id vero omne fieri nequit in ampliore civili Pontificis territorio. Ibi omnia jacent: leges vinctae sunt dogmate, actuosa vita traditionibns enervatur, patriotismns per fidem damnatur. Unde non superest aliud, qnam aut in torpore civili haerere, omnesque generosos vitae politicae nervos extabescere, aut nisus nationales ad nltimum seditionis erumpere, aut statum pnblicum perenni laborare deliqnio, cui nonnisi materiali vi, praesidiisque Austriae ac Galliae militaribus hucadnsque occurri potuit. Hoc ut porro fiat, velle nequit Gallia, nequeunt omnes religione perfnsi homines duce Gallia.

Ea demum est effroenati partium studii versipellis natura, ut dum ad propositos fines non suppetunt vera motiva, procudantur sophismata, orbique astute propinentur figmenta. Ut enarratis hoc puncto commentis speciem et fucum detraham, sic aio: Potest in una sanctissimi Patris, religionumque summi interpretis persona bene convenire, solideque recumbere et sacra et civilis quoad proprium quamcunque late extensum territorium potestas. Id historia praecedentium se-

culorum affatim comprobavit, id minime enervant propositae ab auctore libelli difficultates. Equidem auctoritas catholica dogmati est innixa, maxime vero illi: Omnis potestas a Deo est, et qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit, et qui huic resistit, ille sane aeternam sibi damnationem consciscit. Auctoritas pactitia publicis moribus, humanis studiis, socialibus indigentiis est superstructa. Sed quid, amabo, faciet auctoritas pactitia, si mores publici, studia humana pactis unionis, subiectionis et constitutionis interdum mero monarchae arbitrio vi quadam terreni dogmatis sancitae adversabuntur, si praetensae indigentiae sociales honesti ac justi limites exorbitaverint? quo inprimis confugiet nisi ad dogma, et dein ad arma? quomodo haec omnia, nisi effroenare velit, moderabitur aliter, quam iuxta aliquod etiamsi mere humanum dogma? Sunt ergo haec duo, moderatio et dogma, ita connexa, ut non modo sibi non repugnent, verum etiam si in una confluant persona, apprime cohaereant. Est Papa vir Evangelii, sed Evangelium ipsum non solum ingnoscit, verum et sancit praecepta, et judicat, et condemnat, et punit, idquemodi potestatem legislatoriam, judiciariam et coercitivam sub respectu spirituali Ecclesiae asserit. Quare igitur Papa vir Evangelii, qui ignoscit, non possit esse una vindex legis, qui puniat? Eccur, si civili polleat maiestate, idipsum respectu civili, ut hucadusque fecit, exequi non posset? At unum hic cedo responsum. Numquid seculares principes christianae, et plane catholicae religioni addicti non sunt viri Evangelii, quod observare ac tueri in conscientia obligantur? Quis autem eapropter adfirmare audeat, eos non posse vindices legis agere, qui puniant? Dum Papa ut Caput Ecclesiae haereticos communione excludit, hoc facto juribus et bonis spiritualibus ex Ecclesia manantibus eos privat. Implicatne

vero, ut idem tamquam rector profanae reipublicae libertatem cultus civiliter innoxii cum juribus et bonis e civitate manantibus iisdem permittat, quod ad autonomiam sufficit? Si enim jurium bonorumque Ecclesiae spiritualium communionem autonomia involveret, nullus eam secularis princeps civitatis impertiri civibus posset, quia nullus de bonis spiritualibus disponere valet. Itaque inter Pontificem et principem civilem in una persona conciliandum non datur verus antagonismus, sed tantummodo illusorius in cerebro hominis passione abrepti confictus, idque eo certius, quod tum Papa tum secularis quisque Monarcha postulata civium socialia ante, quam calculo suo probent, ad amussim divinae ordinationis revocare debent. Quando libelli auctor, magni si superis placet consilii angelus, in nulla consueta regiminis forma opem invenire potuit, ut imaginarias suas difficultates resolvat: cur non historiam magistram adivit? cur non revolvit mente illam regiminis formam, qua usi sunt Pontifices praeteritis seculis, quibus florente ipsorum dominatione civili lumen ingenii, animi, sapientiae et pietatis suspexerunt in illis cives domestici, exteri vero populi ac reges ad eos velut beneficum sidus advolarunt, consilium rogarunt, normam gubernationis mutuati sunt, diademata ipsa, maiestatisve insignia retulerunt. In illa forma regiminis oportuit auctorem difficultatibus suis lucem quaerere, non obstipo capite praepostere falsam rem propugnare.

Verum enimvero exhibet ille nobis novam pro civili Pontificis potestate independenter exercenda formam. Ait: potestas Papae non sit regia, sed mere paterna. Quid dicam ad haec? Eximamne ab hac conditione Pontificem, aut etiam seculares principes isthuc redigam? Dicat Cicero ethnicus, florentissimae olim Romanorum reipublicae admini-

ster. Verba sunt illius L. II. de republica cap. 26. „Regem illum volunt esse, qui consulit ut parens populo, conservatque eos, quibus est praepositus, quam optima in conditione vivendi. Sane bonum reipublicae genus, sed tamen inclinatum et quasi pronum ad perniciossimum statum. Simul atque enim se inflexit hic rex in dominatum injustiorem, fit continuo tyrannus. — — — — Quis enim hunc hominem rite dixerit, qui sibi cum suis civibus, qui denique cum omni hominum genere nullam juris communionem, nullam humanitatis societatem velit.“ Expende haec, applica et tace. Quodsi civile territorium Papae restringendum est ideo, quia potestatem ejus paternam esse decet: numquid vicini secularis principis ampliandum erit, quia potestatem ejus mere paternam esse non convenit? Imo vero dilatandum id, quod judice Cicerone sane bonum reipublicae genus agnoscitur: restringendum autem, quod a bono divergens inhumanitatis arguitur. Neque magni principis laus a maiore vel minore territorio mensuram accipit, sed a scientia gubernandi, a virtute ac vera pietate. „Illi, qui vera pietate praediti bene vivunt, si habent scientiam regendi populos, nihil est felicius rebus humanis, quam si Deo miserante habeant potestatem.“

Heu! quanta porro temeritas est dicere, impudentia scribere, fallacia velle persvadere: sub civili Pontificum regimine leges ita dogmate vinciri, ut vitam populi politicam oporteat perimi. Ubi tamen tute, si sapis, maiore et jure et veritate asseveraveris, sub hac maiestatis Pontificiae duplici aegide vitam populorum moralem cum politica semper in harmonia custoditam, politicam vero in genuino suo principio vegetatam fuisse. Quidquod etiam quisque non iniquus rerum aestimator intelligit, traditionibus Romanis id solum caveri,

ne novae quaelibet institutiones in noxios abusus degenerent, minime autem, ut ad justam perfectionem eluctentur. Quis praeterea credat auctori opusculi affirmanti, fructus scientiarum inhiberi populo in illa urbe, quae est antiquissima sedes, perpetua altrix et conservatrix artium et scientiarum, unde et nos, quod scimus, vel scire gloriamur, mutuati sumus? Quis credat, damnari studium vera emolumenta patriae suae promovendi, et id quidem in illa divinae religionis arce, in qua caelesti auctoritate, oreque apostolico praedicatur: Si quis suorum maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, et est infideli deterior. Potestne vero cognatio vel familiaritas domesticorum ulla propior esse quam patria? Quodsi auctor opusculi patriotismi nomine intelligit illum rabidum sub nationali palladio exultantem furorem, qui legitimis auctoritatibus insidiatur, morum dissolutioni lenocinatur, aliena rapit, susque deque omnia vertit, lucrum in populorum tumultibus quaerit, vitam in caedibus agit, sane tum largior et concedo, talem patriotismum et a Pontificibus, et a cunctis, qui patriae et populo bene consulunt, terrae principibus damnari. Non est ergo ea regiminis Pontificii in civili territorio suo natura, ut suapte vel torporatam stagnationem inducere, vel in revolutionem ebullire, vel impotenti virium internarum deliquio consenescere debeat. Omnis mali, quo civilis Status Papae fatiscit, causa non intrinsecus latet, sed potissimum extrinsecus inauspicato adrepit. Quaere, et deprehendes eam in communi illa perversorum principiorum, nefariarum consociationum, fraudium politicarum populos de industria collidentium, ingeniorum in res novas seditione plenas ardescentium peste, quam non modo qui tranquillis laribus inferunt, verum etiam qui fovent et adiuvant, junctis quodammodo manibus elaborant in eo, ut Status Pontificius ad amissam

incolumitatem roburque pristinum convalescere non possit. Removeatur causa, unitis principum materialibus viribus haec impedimenta in barbaras expellantur sedes: continuo disparebit effectus, laetiorque rerum facies effulgebit. Hoc pia et christianissima Gallia, hoc omnes boni velle debent, non autem venerabilis patrimonii S. Petri sacrilegam ex sortibus dilacerationem postulare.

IV.

Quarto puncto ait: Necessariam et legitimam in Romano Pontifice maiestatem civilem cum extenso territorio incompatibilem esse, hacque solum lege posse consistere, si consuetis potestatis regiae attributis, cunctisque efficaciae, evolutionis et progressus praesidiis denudata fuerit. Ista singularis in Papa regiminis forma, auctoritati patrisfamilias similior quam principis potestati, careat exercitu, legislatione, codice et iustitiae tribunali. In illa dogma serviat pro legibus, sacerdotium constituat legislatores, altaria pro moenibus, arma spiritualia valeant pro clypeo regiminis. Ita comparata potestas, cuius omne robur non tam fortitudine nititur quam imbecillitate, conquiescat in veneratione sibi exhibenda, et felicitate impertienda illis, quibus vitam aufert politicam. Qua de causa non amplo, sed exiguo circumscribatur territorio, quod sufficiat, ut Papa independens in censum principum referri queat. Ipse nihilominus influxum politicum exercere, actuosam in orbe politico personam referre non audeat, ne se suumque populum servitutis subeundae discrimini exponat.

Pro congruente huius augustae potestatis exercitio offert magnanimus auctor parvum terrae spatium, quippe urbem Romam, pridem e suo vetusto civili splendore in centrum christianae unionis, in sublime gloriae hierarchicae fastigium conversam, cui, ut impendentem vitae politicae iacturam recompenset, ornamenta artium ac rerum memorabilium monumenta, magnitudinem ex spirituali in animas influxu dimanaturam, decus e sede ecclesiastici et civilis principis oriturum invidiosa consolatione propinat, monetque omnem hunc dignitatis nimbum illico diffluxurum in auras, simul ac Roma libertatem, aliorumque civium fortunam concupiverit.

Singulare ac inauditum novae regiminis formae, novae civilis potestatis exemplar, quod nec Plato sine contradictione cogitare, nec Scipio sine deliratione in somnio sibi repraesentare potuisset! Potestas civilis absque legibus, codice, justitia et armis, substantialibus destituta requisitis implicat in conceptu, estque nulla potestas. Substituta his e conceptu exclusis requisitis dogmata, Sacerdotes, altaria, atque arma spiritualia spiritualis sunt naturae, quocirca civilis potestatis attributa dici non possunt, neque Papae civilem vendicare maiestatem. Maiestas consuetis juribus, insignibus praesidiisque maiestaticis exspoliata quid est aliud nisi inanis quaedam tabulae rasae in confusione idearum appicta figura? Unde auctor opusculi intervallis lucidis ipse potest perspicere, se in manifesta versari contradictione, dum civili potestate ac maiestate Pontificem refulgere vult, simul vero eandem potestatem ac maiestatem necessaria substantia prorsus evacuat. Non est haec media via, sed ratio agendi penitus devia.

Tanti sunt reliquae propositiones, puta: ut Pontifex in serie principum incedat, actuosam vero principis partem non capiat; sufficere eidem tantum spatium territorii, ut inter principes numerari possit, futurum tamen eo maiorem principem, quo minus territorium possederit. Restabat adhuc dicere, maximum eum futurum principem terrenum, si nullum habuerit principatum!

Quid autem, amabo, fiet de ista inusitata civili Pontificis potestate, si cives Romani noluerint vitam, cui renunciare suadet, politicam cum mundo emortua commutare? Si sub tegmine celebratae gloriae quietos ducere somnos recusaverint? Poteritne ad amplectendum hunc novum statum cogere invitos Gallia, quae tamen ad vindicandam populorum libertatem se esse vocatam existimat? Dices: Hoc determinabit

Congressus. Si faciet: quis det vadem fore, ut animi male contenti, et forte extrinsecus concitati protectique idonea opportunitate non rebellent, utve mira haec regiminis forma recidivo deliquio non laboret imo repente corruat? Recurrunt itaque hic maiore gradu omnia supra Nro. III. incusata pericula, quae auctor libelli a Statu Pontificio volebat esse remota. Non ea compescit exquisita regiminis ac potestatis forma, sed auget, quocirca inepta est ad summam impudentiam, ille vero inconsultus et animo perverso, qui institutum vetus religione patrum, jure naturae et gentium consecratum destruere molitur, ut adstruat specie usuque deterius. Quare cum idmodi contradictionibus, falsitatibus, vanisque verborum phaleris contextae offuciae id, quod auctor proposuit, plane non evincant, tum profecto claro sunt indicio, eum vel sibimet ipsi illudere, vel futurum politicorum Statuum Congressum, caetumque fidelium universum maximo dignitatis Pontificiae, ac totius moralis auctoritatis probro deludere voluisse. Quo quid indignius? quid magis impium?

V.

Quinto puncto hunc in modum disputatur: Nihil simplicius, nihil adeo legitimum ac necessarium est, quam Papa Romae residens, angustoque constrictus territorio. Ut talem habeat orbis terrarum, fas erit aliquot centena millia hominum e vita nationali subducere, huicque novo domino subjicere, non tamen plene immolare, dato ipsis futurae omnigenae prosperitatis et socialis protectionis vadimonio. Hunc novum principatum gubernabit Pontifex paterne, juribus praesidiisque maiestaticis destitutus, quam nihilominus iacturam sarciet actionibus illibatis, ut nemo illas imitatione assequi possit, sed huius incredibilis fortunae vicem totus ei debeat mundus invidere. In hoc principatu potestas Papae civilis referet imaginem sacri regiminis, solium erit Pontificium, non dictatura, introductaque vita municipalis levabit Pa-

pam curis administrationis ac gravi onere reddendae rationis, ut procul negotiis in eminentiori sphaera firmus consistat.

Tamquam socius foederis Italici a foederato milite defendetur. Miles ipsius privatus ordinem duntaxat publicum conservabit. Dum fuerint debellandi hostes intestini et exteri, gladium vagina educere Ei nefas esto. Sanguis enim illius nomine profusus Dei offenderet misericordiam, cuius ipse legatus est apud homines. Idcirco quoties elevat manus, eo aget, ut benedicat, non ut feriat.

Et quoniam divinus cultus, spendorque maiestatis Pontificiae sumptus deposcit, hos non soli subiecti cives, verum omnes catholici principes e tributis populi munifice subministrabunt. Sic universalis Papae primatus, totaque moralis auctoritas sanctiore quadam ratione firmabitur, et simul cessabit necessitas subiectos cives tributis gravandi, quibus thesaurus Pontificis impletur, nomen obscuratur.

Sub hac civili maiestate populus constitutus nullos habebit nationis repraesentarios, nec milites, nec ephemeridum, nec dissertationum politicarum prelum, nec judices. Tota ejus publica vita municipio continebitur, artium culturae, contemplationi ruinarum, ac piis precibus dedita, nec licebit cuiquam adspirare seu militis, seu oratoris, seu reipublicae administri profanam gloriam. Universim regnum istud quietis, recessus, contemplationis, quidquid in orbe politico agitur, infra suam projiciet conscientiam, et spirituali vivet elemento. Durum telum, sed quod perferre altioris ordinis poscit officium. Tamen immunitas a tributis, gloria urbis aeternae, praesentia Aulae Pontificiae, liberalitate principum sustentatae, spes magnos habendi Pontifices quaelibet damna largiter compensabunt, manebitque semper honos, appellari civem romanum.

Tandem quid velit auctor libelli, videmus, palpamus, nec solum mente apprehendimus, verum etiam ipsis adeo manibus tenemus. Remota politicae concinnitatis larva patulum iacet cum nefariis instrumentis machinisque vile consilium. Vera eius species huc recidit. Inhiatur opimae praedae. Status Pontificius cum provinciis et legationibus est spina in oculis, unguis in vulnere illi, qui haec abiecta libidine expetit. Ar-

mis occupare praeterquam quod affligeret militem aerariumque proprium exhauriret, insuper gravem commoveret orbis catholici indignationem. Via ergo tentata est circumspectior. Quia Papa scilicet nullius nationis princeps civilis esse posset, cum sit pater et pontifex omnium nationum: ideo praetextu nationali cives Eius seditiosis concionibus iam perturbati sunt, legitimi magistratus relegati, novi locorum praesides illuc missi, quos agnoscere qui volunt, honoribus largitionibusque in proposito confirmantur, qui renuunt, minis et vi coguntur, vel obtorto collo enecantur. Quia Papam civili maiestate refulgere expedit, ut, stabilito in Eo auctoritatis moralis principio ac centro, secularium principum non periclitetur auctoritas, ideo statuitur, ut Papa quidem civilis maiestatis umbram retineat, sed contra memoratos ditionis suae hostes gladium vagina educere non audeat, verum robur suum in imbecillitate non fortitudine situm esse profiteatur; ut codice legum careat, ne rebellionis auctores, suique patrimonii invasores de laesa maiestate postulare; tribunali, ne judicare et convictos condemnare; armis, ne plectere, in obsequium revocare, ac indubitatae proprietatis jus defendere possit. Ideo praetenditur, ut novo maiestatis fuco insignis, curisque reipublicae solutus, abdicatis provinciis ac legationibus suis retrocedat in angustiores urbis Romae fines. Ibi militaribus praesidiis illorum hominum, qui Eum exspoliaverunt, protectus cum centenis civium millibus, a tributo immunibus, perpetuae quieti, nationali proscriptioni, ac morti politicae devinctis contempletur ruinas suas, spiritualibus vacet exercitiis, neve fame pereat, a gratia principum catholicorum annuam pensionem expectet, quam si negaverint, vel decretam revocaverint, tum equidem accepto in manus mendicitatis baculo impetret sibi a piis hominibus, quod poterit. In

hanc scenam productus sanctissimus Christi in terris vicarius, totiusque moralis auctoritatis et christianae unitatis servator e propylaeo vaticani palatii neminem unquam feriat anathemate, sed elevata manu benedicat omnibus.

Hoc simplex esse dicitur, ut simplicitatis evangelicae Antistiti persuadeatur; hoc legitimum, ut orbis suffragium consequatur; hoc necessarium, ut omnis spes pristinum recuperandi statum adimatur. Atqui nihil est inanius, nihil injustius, nihil denique perniciosius hoc tam inepte tamque malevole procuso consilio. Audi, dum ostendero.

Inanissimum est urgere rem, ut existat, quae suopte vitio concidit, partiumque naturae suae substantialium conflictu eliditur. Quid autem magis laborat vitio absurdae secum ipso dissensionis ne dicam stultitiae, quam, ut Pontificem universale moralis auctoritatis fulcrum pro securitate omnium principum constituas, ponere in illo potestatem civilem, media vero ad procurandum suae civitatis finem necessaria ab eo auferre? Legislationem, codicem, tribunal, magistratus, legatos, arma, militem ex civili Papae regimine expungere non minus inane est, quam e papyro et spongia construere grande palatium, quod sua stabilitate ventis, pluviis, tempestatibusque insultet, ac una morale cunctorum principum palladium tegmine suo defendat. Quid magis confligit, quam exornare Pontificem maiestate, juribus vero nativis exuere? velle constituere independentem, et simul legitimi patrimonii possessione deturbare, in urbis unius claustra compingere, justae defensionis facultate prohibere, alienigenarum patrocinio, gratiae, arbitrio tamquam inopem pensionarium obnoxium reddere? socium facere politici foederis, et ne seu ipse, seu ditionis propriae cives ulla politicae vitae specimina vel signa edant, imperiose obstringere? Quis idmodi consilia

non perspiciat esse vanissima? Quis non imperitiam rideat? Et si consideret. in quem facinus committendum proponitur: quis non proiectam impiamque execretur audaciam?

Quum justitia exigat suum cuique tribuere, ipseque auctor libelli non adducat in controversiam, provincias in Congressu 1815. expressas veram Pontificis titulo patrimonii S. Petri efficere proprietatem: quo, quaeso. jure hae vero domino abiudicari, eoque invito in alium transferri possent? Num quia alter ipsas appetit, quia fraude et dolo populum conturbavit, quia possessionem invasit? Si hac norma jus defigitur, tum enimvero avari, fures, latrones in omni foro non modo crimine absolvendi erunt, verum etiam ut exempla justitiae ubivis praelucebunt. Num quia populares ditionis rebellant et parere nolunt? Si istud probas. aut feras legem, qua cunctis principibus rebelles et coniurationis reos in jus vocare prohibeas, aut istam restringendi territorii papalis causam fateare iniustam. Vel fortene ratio libertatis nationalis tuendae deposcit, ut Pontifici, qui nulli nationi adscribi, sed omnium pater esse debeat, subiectos hucadusque populos adimas? Pone hoc: qua deinde juris aequitate in his libertatem nationalem defendes. in romanis autem civibus vitam plane nationalem exstingues? Pone hoc: et pari jure omnes e diversis nationibus conflatos principatus seculares dividas, pari jure Galliae Alsatiam, Lotharingiam, et quidquid ad Rhenum possidet, et quidquid in Statu Algeriano armis occupavit, manibus extorqueas est necesse. Quocunque demum aspicias, nusquam invenies iustam causam attenuandi ditionem papalem, verum potius agnosces: iniuriam fore in coelos clamantem. diminuere sacrum illud patrimonium, e quo tot pauperes stipem percipiunt, tot splendidissima Dei templa nitent, tot barbaris gentibus fides annunciatur. Non igitur ex

hac redituum vena thesaurus Papae, ut auctor ait, impletur, et nomen obscuratur, verum causa religionis, salus hominum, gloria Supremi Numinis amplificatur. Quae omnia uno ictu vel calami ductu prosternere, hoccine inficiaberis esse iniustitiam longe crudelissimam?

Quid illud est, oro te, qualem speciem justitiae praefert illud, quod auctor libelli statuit: Pontifici cautum esse arma et militem habere, quia sanguis nomine illius fusus offenderet misericordiam Dei, cuius ipse legatus est apud homines? Si lege naturae cuilibet mortalium nec Pontifice excepto jus competit occidendi iniquum vitae aggressorem salvo moderamine inculpatae tutelae, quo legis fundamento Pontifici tamquam principi civili facultatem detrahas suam suorumque civium moralem personam vi armata contra quemlibet hostem defendendi, praesertim si laesio modis lenioribus declinari ac anteverti nequeat? Misericordia divina, cum sit justitia temperata, id vetare non potest. Alioqui cum legatus eius apud homines Pontifex sit, ceteri seculares principes asseclae esse debent; omnibus enim dicitur: Estote misericordes, sicut et pater vester coelestis misericors est. Dic ergo mihi, quo jure ceteri christiani principes alunt militem, capessunt arma, belloque saepenumero sine justa causa indicto nationes alias in libertatem vendicare pergunt, alias sibi subiugant? Adfirmat libelli auctor, Pontificem futurum socium foederis italici foederato milite protegendum. At enim quando foederatus miles socium foederis defendet, aliqua parte nomine illius sanguinem profundet, quo facto divina offendetur misericordia. Quod cum nefas sit committere, Pontifex debebit dicere foederato militi: Reconde gladium tuum in vaginam. Hoc pacto Pontifex una cum civibus romanis in disciplinam monachicam redactus manebit sine legum codice.

sine magistratu, sine judice, sine aerario, sine vita politica, sine ope humana, princeps civilis nomine, vasallus re. Cui consimilis est ista prudentia politica nisi veteri exemplo Pilati, qui volens Christum insontem constituere, nec tamen ferocientem populum judaicum offendere, exuit Christum vestibus, corona spinea pro diademate, arundine pro sceptro insignitum populo produxit illudendum: Ave rex Judaeorum!? Et quisquamne sit, qui velit, ut poene idem agatur cum Vicario Christi, sanctissimoque fidelium Patre, idque a Christianis, a filiis? Quisquamne sit, qui non clamet cum Michea propheta: „Attendite populi omnes, attendite terra et plenitudo eius, et sit Dominus Deus vobis in testem?“

Si est necesse Pontificem Romanum pollere civili potestate, ut inde universa moralis, atque nominatim principum terrae augusta solidescat auctoritas: profecto haec potestas Papae debet fini praestituto plene cumulateque respondere. Id autem non praestat potestas umbratilis, nativo elemento, succisque vitalibus orbata et prorsus eviscerata, qualis est illa, quam auctor libelli in Papa depraedatione provinciarum injusta diminuit, angustiis territorii constrinxit, vinculis legum, vigilantia magistratuum, praesidiis armorum, omnique proprio rerum gerendarum nervo destitutam ab aliena gratia ne dicam fallacia suspendit, in orbis theatro ridiculam magis effecit quam venerabilem. Tantum abest, ut haec potestas cuivis legitimae auctoritati addat momentum, ut potius verendum sit, ne facto in Pontifice exemplo universim eius in divinis humanisque rebus necessitas audacius impugnetur, et in utraque republica insidiosa pernicies grassetur. Agesis, de eo serio deliberemus.

Religio nostra catholica divinae revelationis oraculo inculcata, referta mysteriis, propagata miraculis, Ecclesiae

infallibilis fulta magisterio, primatus universalis necessitudine devincta, tota, ut auctor libelli ait, innixa est dogmati, superstructa auctoritati. Quiqui diversae religionis placita amplexi sacris Catholicorum se abdicarunt, huius auctoritatis jugum continuo excusserunt probe gnari, sua dogmata nullo rationum pondere fortius refelli posse, quam ipsa hac auctoritate, nihilque propagationi sectae suae plus obstare, quam si civili quoque efficacia ipsis auctoritas ista obsistat. Quare hoc cupiunt, hoc moliuntur, ut civilis Pontificiae potestatis Tarpeja rupes principum fulminata sagittis labascat, ac tandem corruat. Si, putant illi, Pontifex Romanus mero nomine princeps absque occupatione civili, absque anima et vita politica cum civibus romanis pariter civilem inertiam professis ad exiguum territorii compendium reductus fuerit: parvam excitabit orbis attentionem, nec tantae erit, quantae respublica S. Marini considerationis. Si reipublicae curis levatus, ac insuper reditibus spoliatus alienorum populorum tributis, principumque gratia sustentari debuerit: illis quidem gravis ac invisus reddi poterit, ab his, quo libuerit, sollicitabitur ut inflectatur. Si codice legum civili, si magistratu, tribunali et milite caruerit, praeter arma spiritualia, pectoribus Acatholicorum impervia, nihil habebit, quod expeditis doctrinae heterodoxae commerciis efficaciter opponat. Tunc nullo obice fas erit perversos fidei et morum puritati noxios libros inferre ac disseminare, praecones haeresum mittere, Italiam sectis omnibus inundare, pios Catholicos seducere, novamque ex iis phalangem vexillis suis adiungere, Romam penetrare, cives in foedus adsciscere. Vaticanum impugnare, illamque sacram divinorum mysteriorum auctoritatem si non subruere penitus, certo vehementer labefactare. Huc collineat omne propositum atque contentio. Quo quid perniciosius rei catholicae

esse possit, tute videris. At etiam effectus in rempublicam profanam secutoros velim expende. „Neque enim, homines quod spectat, quidquam recte egeris sine habito ad res divinas respectu; nec vice versa“ — ita se ipsum admonebat Marcus Aurelius Antoninus Imperator Romanorum libro III.

Nullum datur principibus in civitate regenda tutius praesidium authoritatis, quam si subiecti cives potenti religionis et conscientiae incitamento imperatis navent obsequium. Magna est religionis virtus in conscientiam, magna vis conscientiae religione perfusae ac educatae. His creta radicibus persuasio nullo contrario impetu facile vincitur, verum ipsa divergentium vincit opinionum fallacias. Tali altiore persuasione fundata authoritas vigebit, eversa hinc feralem brevi ducet ruinam.

Jam quaeso, quis sensus religionis permearet christianum populum, dum animadverteret, ex humanis respectibus in summo Ecclesiae Pastore ac Capite dissolvi et aboleri illa potestatis civilis jura, quae omnes gentes in secularibus principibus integra fide observare ac revereri debent? Perduraretne salvum in animis religionis vinculum, ut illa in principe honorentur, quae laesa sunt in Pontifice? Quae deinde praeclara aequi ac recti conscientia occuparet plebem, pessimi testem exempli, quo publica authoritate legitimum Papae patrimonium eriperetur, idque eapropter, ut praepostero foederi, populari seditioni, veteratoriae politicae, hominibusque a fide catholica alienis obsecundetur? Utrum inde non invalesceret funestum praeiudicium, licere fieri in parvo, quod libuit committere in magno? quod apparuit in viridi, imitari in arido? Talibus religionis et conscientiae rationibus quomodo se sustentabit profana authoritas et reipublicae salus? Dubitas fore, utne communismus, materialismus, practicus atheismus, civilis et

religiosus libertinismus cum omnibus satellitibus suis acquirat vires, pugnet animosius, triumphet facilius? Dubitas fore, utne conjurato authoritatibus excidio in licentiam effrenem malesanus cum terra orcus immugiat? Haec inter pericula et mala, ni conspirare volueris, quomodo resistes? Armane oppones? At erunt illa communi causae faventiora quam tibi. Gloriane praeterita domum communies? At dum vicissitudinis humanae variabit urna, occidet gloria versa in ignominiam. Metune tempestatem coercebis? Sed timor non est diuturnus officii magister. Et sanctus martyr Cyprianus ait (epist. ad Donatum): „An tu vel illos putas esse tutos, illos saltem inter honorum infulas et opes largas stabili firmitate securos, quos regalis aulae splendore fulgentes armorum excubantium tutela circumstat? Maior illis, quam ceteris metus est. Tam ille timere cogitur, quam timetur. Antea ipsos terret potestas sua, quos facit esse terribiles.“ Etsi vero maxime haec auctoritati impendeant, tamen nec ceteros esse patientur immunes. Jam Cicero animadvertit (epis. ad Marcellum): „Omnia sunt misera in bellis civilibus; sed miserius nihil, quam ipsa victoria.“ Revolve ista, et statue: potestne res pernicie vacare, in qua tam aerumnosis auguriis tam certum echo respondet? —

VI.

Sexto puncto revocat in summam, quae hucusque de potestate civili in Pontifice necessaria, de ejus restrictione ac reformatione copiose disseruit. Ex his quasi abunde probatis et demonstratis ingreditur novam quaestionem, videlicet: an Legationes, quae facto consummato ditioni Papae ereptae ab extraneo regimine iam administrantur, Illi restituendae sint, necne? In discussione huius quaestionis ita se versaturum spondet, ut pro cynosura non rationes populi avulsi, verum unice Sedis Pontificiae emolumenta velit respicere.

Quantum libelli auctor hucusque demonstraverit, vel quantum potius non demonstraverit, praevia quemque convincat recensio. Asseruit ille independentis in Pontifice civilis potestatis necessitatem, sed eam continuo in partibus constitutivis destruxit. Ex quo conatu quid nisi inanitas rei, causae iniustitia, consectariorum pernicies resultat? Si hoc tramite in nova pertractanda quaestione incesserit, quo rationum pondere, qua fide, quo rei processu causam dicturus sit, licet ominari. Audiamus tamen etiam atque etiam, quem hactenus patienter sustinuimus.

VII.

Septimo puncto confitetur, Legationes non obstante sacrae Sedis anno 1796. cessione constituere plene perfecteque legitimam Status Pontificii proprietatem. Itaque motus civium ejusdem turbulentos esse veri nominis seditionem legi, juribus, pactis adversam. Quum enim Legationes virtute Congressus de anno 1815. Papae sint restitutae, quousque decisa Congressus istius viguerint, tamdiu Papam jure posse repetere, quod iniuste amisit.

Verum utrum id facere Sedi Pontificiae ac religioni proficuum foret, in hoc puncto vacillare conscientiam, eiusque impulsu a iure esse recedendum. Si restitutio Lagationum necessaria esset ad ampliandam potestatem Papae temporalem, et procurandam securitatem conditio, tum enimvero nulla remaneret difficultas, ut restituatur in integrum. Sed recte hic opinione auctoris haeret aqua, ista deficit conditio.

Ipso namque judice si Legationes non fuerint restitutae, territorium quidem Papale diminuetur, sed potestas politica non diminuetur, verum potius moraliter augebitur, quia non experietur vim continuo repugnantem. Auctoritas praeterea supremi Capitis Ecclesiae non nititur extensione territorii, quod alienis duntaxat praesidiis militaribus retinere possit; nec civium numero, quos, ut in obsequio servet, opprimere debeat: verum omnis auctoritatis huius vis et ratio firmissime consistit in fiducia et aestimatione civium, qua cautum est aliquando severitatis et

coactionis praesidia arripere. Hoc enim nequit probari in cunctis terrae principibus, quanto minus in illo, qui manu gerit Evangelium.

Quid refert ad splendorem, dignitatem ac magnitudinem Sanctissimi Patris, quot milliaria quadrata principatus Eius complectatur? Egetne spatio, ut ametur et aestimetur? Doctrina et benedictiones Eius sunt luculentissima juris indicia. Num quid vero non docet ac benedicit in mundo universo? Quid refert, maioremne vel minorem habeat numerum civium, ubi eo spectat omnis ratio, ut tot habeat, quot ad statum eius independentem sufficiunt; nimios autem plane non habeat, ne passionibus, novationibus et cuicui modi fluctibus turbae pulsetur.

Auctoritas Papae non absolvitur viginti et una provinciis, quas hodie possidet. Bononia, Ancona, Ravenna ad splendorem Romae nil conferunt, utpote catena montium, charactere incolarum, memoria rerum praeteritarum disiunctae. Papa Romae residens! id sane est, quod mundum rapit in admirationem. Princeps romanarum provinciarum parum consideratur.

Si Legationes libera voluntate, amore ac reverentia Papae adhaererent, nil obesset, quo minus ipsi restituantur. Sed rebellarunt et rebellant, neque aliter quam praesidiis Austriacis in fide retineri possunt. Invitos ergo restituere quid aliud foret, quam infideles cives reddere, pronos ad resistendum, pares ad elidendam quovis tempore auctoritatem? Et quid inde emolumenti Ecclesiae accederet, si eos excommunicatione plectere, et pulcherrimum matris nomen pessumdare deberet? Hoc non vult Ecclesia, nolunt Episcopi, negant Catholici. Itaque redintegratio laesae possessionis, quae tanta mala involvit, nullum Ecclesiae triumphum compararet. Aliquot centena civium millia ditioni Papae restituere, una vero sacram convellere auctoritatem, hoc Deus et Europa sapiens avertat!

Multum calamistrati sermonis, et parum vel nihil roboris. Auctor libelli mirabilis est advocatus Ecclesiae ac satelles politicae, dum causam actitat idmodi argumentis, quibus nimium eoque veraciter nihil probat. Argumentari namque, ut ille facit, hunc in modum: Potest Papa Legationes via facti sibi ereptas repetere, quia iniuste laesus jus habet:

sed potest etiam a jure recedi, eique restitutio quaesita negari, quia sacrae sedi eius non esset proficua; — ita argumentari idem est atque simili in casu dicere: Dives exspoliatus comprehenso auctore ac corpore delicti potest bona surrepta repetere, quia in hoc omnia divina et humana jura conveniunt: sed quia divitiae teste sacra scriptura sunt periculosae, ipsaque sublata res ad opes pertinens diviti non foret proficua, potest quodam a jure recessu eidem abiudicari restitutio. Non est aqua similior aquae ex eodem puteo haustae, quam unus casus alteri. Utrobique idem est fundamentum juris postulandae, utrobique eadem ratio denegandae restitutionis. Aut igitur ab utroque casu excludas restitutionis necessitatem, aut a neutro est necesse. Si facies primum: causam furunculorum, rapacidarum, effractariorum, peculatorum, maleficorum omnium et sycophantarum defendendam suscepisti. Si alterum: causa tua contra patrimonium S. Petri informata cecidisti. Dices forte: Politica non habet officia sicut scientia ethica. Atqui si a lege aeterna, a juribus divinis et humanis deflectit, sique ipsis socialis vitae medullis insidiatur, non habet ultro, ubi firmum pedem figat, sed fit fucus et fraudulenta chimaera. Non quaeritur in materia restitutionis, utrum res domino suo necessaria sit vel proficua; verum urgetur illa communis utilitatis conditio, ut proprietatis omniumque jurium securitas tum privatis tum ipsis rerumpublicarum rectoribus illaesa conservetur. „Aequissima vox est, et jus gentium prae se ferens: Redde, quod debes“ ait Seneca (l. 3. de beneficiis). Haec vox si mutuas principum non regat necessitudines, quomodo stabit salus reipublicae, omnisque civilis ratio et maiestas? Quare apage cum tuo argumento, quod a principio falso nascitur, et vacillantem conscientiam muta in rectiorem.

Tamen videamus causas auctoris, cur restitutio Legationum Sedi Pontificiae non conduceret. Ideone, quia negata restitutione liberabitur civibus infidis, resistendo semper et pronis et paribus, quo pacto nihil decedet eius potestati, sed potestatis vigor moralis magis convalescet? Tune istud persuadeas cuiquam principum, et nominatim augustissimo Gallorum Imperatori, nullum fore potestatis eius detrimentum, sed potius morale incrementum, si illos in Statu Algeriano armis subactos populos ditione sua manumiserit, quos nec excubiis, nec exploratoribus, nec missis illuc praestigiatoribus ad voluntariam alacremque obedientiam hactenus potuit revocare? Qua ergo consequentia praetendis, ut argumentum, quod fallit in aliis principibus, valeat in Pontifice, quem tamen omnis auctoritatis moralis centrum et propugnaculum vis constituere?

Instas porro: restitutio Legationum Pontifici non est proficua, quoniam auctoritas supremi Ecclesiae Capitis non extensione territorii, sed fiducia et aestimatione civium nititur, quos severitate coercere non est integrum ei, qui manu gerit Evangelium. Distingue velim, quae natura sunt disparata, Caput Ecclesiae a civili Romae et Legationum principe. Auctoritas Capitis Ecclesiae salva fuit, dum Papa Avenione resedit, manebitque salva, ubicunque domicilium fixerit. Auctoritas civilis principis Romae et Legationum magna sui parte collabitur, si protegendae popularis seditionis gratia Legationes eidem pessimo exemplo adimuntur. Gerit quidem Pontifex manu Evangelium, gerit codicem divina auctoritate promulgatum, in quo scriptum est (Rom. 13.): „Principes non sunt timori boni operis sed mali. Si autem malum feceris, time: non enim sine causa gladium portat. Dei enim minister est: vindex in iram ei, qui malum agit.“ Et qui talem

cunctis populis eorumque principibus regulam praefert, ipse pari jure princeps nequeat moderata severitate ad frugem reducere eos, quos frustra diuturna clementia fovebat? Consimili nutant vertigine reliquae tuae assertiones e longe disparibus locis conquisitae, uti: Papam non egere spatio, ut ametur et aestimetur, ipsum docere ac benedicere in universo mundo, si Papa Romae resideat, hoc rapere mundum in admirationem, principem provinciarum romanarum non attendi. Quae ut tibi persuadeas, contemplare animo, non soli Papae, sed cunctis principibus „unum esse inexpugnabile munimentum amorem quippe civium“ (Seneca l. 1. de clementia): atque adeo „caritate et benevolentia civium septos esse oportere non armis“ (Cicero 2. Philip). Si tamen aliquae eorum provinciae tumultu extrinsecus excitato ardeant, quis justum reputet, ut seditiosis provinciis exuantur, ac in metropolim suam retrudantur, quia amor non eget spatio? Divus Petrus primus Pontifex docuit et benedicebat in mundo universo: justumne vero est, quod eum Nero vita et terra exturbavit? justumne erit, ut successores ejus priventur legitimo jure ac patrimonio, quia docent et benedicunt in universo orbe? Rapuit orbem in admirationem Pius VII. ut aquila rapax, dum extorris domicilio suo in terras crudeles ab inimico ductus et dolis et minis et injuriis quibusvis invictum animi robur semper opposuit; rapuit nos in admirationem Pius IX., qui vulgus ingratum, eiusque nefariam immanitatem fugit, ac latitans Cajetae crucis discipulus de cruce afflicto animo hausit consolationes: verum enimvero an ille propterea non sit legitime in Congressu 1815. pricipatui suo restitutus? an iste ex eadem ratione principatus sui parte orbandus? — At non est hic quaestio, quibus modis Papa admirationem excitet, numve principatus eius temporalis splendore hoc absorptus evane-

scat: id in quaestione versatur, utrum in avita patrimonii S. Petri possessione turbatus in integrum sit restituendus, quod tu impugnasti quidem, sed patere ut verum dicam, tuis te armis confodisti.

Contendis ultro: Legationes Papae restituere non esse proficuum, quoniam interiectis montibus, charactere incolarum, memoria rerum praeteritarum disiunctae nil Romae splendoris adderent. Heus quantopere hallucinaris! Do tibi hoc, quod affirmas, quaero tamen, quot regna tu mihi percensebis, quae his non laborent impedimentis; quot regna integra et individua manerent, si ex his impedimentis splendorem, e splendore utilitatem, ex utilitate jus principum metiri liceret ac definire. Quantum hoc titulo Gallia perdere deberet, ac possessione forte aliquando depulsa restitutionem urgere non posset!

Demum ultimam causam adducis istam: Legationes fuerunt ac etiamnum sunt seditiosae, invitas Papae restituere non est e re Ecclesiae, quae seditionis faces exstinguere non posset, nisi acrioribus iniectis frenis, nomen bonae matris pessumdantibus. Sicut bonus pater filium, quem diligit, castigat, sic Ecclesia nomen et gloriam bonae matris non amittit, si refractariam sobolem rigidiore interdum ferula erudiat ad disciplinam. Quod vero attinet ad istas, quibus Italia flagrat, seditionis flammas: nescin' tu, qui eas terribilis draco evomat? Occulta consiliis, aperta rebus jam gestis grassatur conspiratio. Qui regimen nullum tolerant, omnemque odere principem, nova regna mente informant, in quibus ipsi fortasse dominari possint, dum subesse nolunt. Hi semper ignaram periculi plebem dementant, tyranidem optimorum principum accusant et diris devovent, libertatis nationalis jura bonaque celebrant, utve incautos facilius in suam societatem perdu-

cant, aurea promittunt secula. Quando concitatis animis conturbant populos in tumultum, gaudent caedibus, rapinis fruuntur, et calamitosa, quam adornarunt, scena delectati, ut se poenis subducant, primi receptui canunt, in alienis regnis perfugium quaerunt et proh dolor! inveniunt. Adrepunt interdum auribus regum ore blando, ut eos tamquam populi amicos et libertatis vindices extollant, animo autem hostili, ut perdant. Si in consiliis suis adiuvantur, exultant; repulsi insidiantur. Eorum ars est, religionem contemnere, mores corrumpere, leges ut ferrea libertatis vincula impugnare, sacerdotium, magistratus, praesides et dignitates veluti aequalitati adversa instituta evertere, machinas infernales in vitam regum displodere. Quidquid seditionis ubique regnorum et in ipsa Italia furit, istis erumpit auctoribus, erumpetque tamdiu, quousque efficacia non opponentur repagula. Quocirca vel ense resecandum est malum, ne pars sincera trahatur, vel destructa perfugiorum sede finibus Europae fugandum. In hoc consilia viresque unitae principum civilium laborent, huc omnibus trabibus antennisque incumbant oportet, hoc restituendum est nostris temporibus turbati aequilibrii momentum, principibus omnino in sua legitima possessione relictis. Nam sicut nihil minus fallax, quam hoc adagium: Hodie mihi cras tibi: ita nullum certius contra id existit remedium quam istud: Clavus excutitur clavo, causa causam reverberat. Inspiret propitium numen mentes, ut id sapiens Europa decernat. — Satis diu cum auctore libelli quasi praesente deliberabam, nunc iterum loquentem inducam.

VIII.

Octavo puncto ait: Quodsi Legationes Papae restituendae essent, quo id pacto effici posset? An amica transactione? At enim

imperator Gallorum omnia isthuc studia impendit, cives tamen principibus conciliare non potuit. An vi armata? Atqui infelix est omne regimen, quod extraneorum armorum vi stabilitur, nam quod vis obtrudit, ira furorque evertit. Triste est infortunium Ecclesiae, quod Gallia Pium IX. Romam reducere et hucusque suis excubiis protegere debuit. Si id porro Romae, et in singulis civitatibus praestare vellet, morali Papae authoritati ruinam pararet. Aliud impendet Romae fatum, quod civilisatio, historia, Deus ipse defixit.

Sed quae potentia civilis Pontificem violento modo in possessionem Legationum deberet vel posset introducere? An Gallia? Non potest. Natio catholica nequit morali catholicismi authoritati praeiudicium inferre? Natio liberalis nequit populos cogere, ut invisis principibus inviti subsint. Dum Gallia exterorum populorum negotiis intervenit, fecit id, ut eos in libertatem asserat, ut contigit in America, Belgio, et principatibus Danubii, non ut opprimat. Hac liberali politica praecipue in Italia uti eam oportet. Gallia nec exstimulavit, nec approbavit novos illos provinciarum Italiae praesides, qui excedente Austriaco milite via facti habenas apprehenderunt. Hoc factum est legali contra extraneos principes oppositione, ac nobili nationali erga Galliam liberatricem enthusiasmo. Quae si nunc arma verteret in populos Italiae, quos nuper sua de exercitu Austriaco relata victoria in libertatem vendicavit, palmarem in principiis agendi contradictionem admitteret, quod nemo sapiens consulere potest.

Liceat mihi extero civi quaerere: quis Galliam singulari authoramento elegit et constituit, ut inter Italiae principes ac populos factiose perturbatos amicam transactionem tentet, novasque regendi formas proponat? An principes ipsi? Non credo. An recens contractae affinitatis necessitudo? At haec privata est, neque actus tam publici titulum legitimat. An populi perturbati? At quibus nunciis ac legatis, nisi conflatae seditionis coryphaeis? Qui sunt isti? Mazzini eminus, Cavour cominus, Garibaldi in exercitu iam parato armatus. Atqui isti sunt progenies perniciosissimi draconis.

qui caesis erigit trophaea Orsiniis, ut e cineribus novos excitet. Quum transactio haud successit, insonuit belli classicum, ventum est ad arma contra Austriae Imperatorem, Regem autem Longobardiae sublata. Dum in Sardinia omnia strepuere belli apparatu, voluntarius una conscribebatur exercitus, cui Garibaldi dux praefuit. Interea non modo fidelissimas Gallia bellantibus tulit suppetias, verum etiam totam aciem direxit, remque maiore quam adversa pars fortuna confecit. Qua vero de causa? Dices: liberali politica svadente, ut Italiae populos in libertatem asserat. Quos populos? nisi conturbatos illius jubati draconis concussu, qui in hoc bello nobilissimum thesaurum amplexus caudam extendit in alias Italiae provincias, ipsumque patrimonium S. Petri invasit, daturus brevi ampliora libertatis suae specimina, qualia 1848. Romae, in ipsa Gallia, Austria, Hungaria alibique demonstrata partim audivimus, partim intuiti sumus. Adpellet hanc politicam liberalem qui velit: omnibus sane, qui generi humano bene cupiunt, nihil ea videtur esse luctuosius, quod probabiliores in proprium caput insidias valeat comparare. Si talia non praecessissent alienis patrata auxiliis, nec Romandiola Papae erepta fuisset, nec eam extraneorum vi armorum restitui oporteret, qua in re nihilominus vix multum cives domestici cogendi forent; satis esset exteros invasores ac tumultuum auctores extraneis armis aliena regione depellere redituque arcere. Neque dicas, ex hoc Galliae interventu morali Pontificis et Catholicismi auctoritati ruinam imminere, quem ad finem catholica natio operam suam locare non posset. Nam quemadmodum politica authoritas non pessum it, quod eam moralis doctrinis suis rectoque conscientiarum moderamine adiuvat: ita haec moralis auctoritas nullum sentit praeiudicium, si a politica gravioribus interdum armatae ma-

nus praesidiis sustentetur. Imo vero nihil est universae reipublicae magis proficuum ac salutare, quam si utraque auctoritas auxiliatrices dexteras in rebus necessariis coniungat. Recte enim dixit quidam: „Res humanae aliter tutae esse non possunt, nisi quae ad divinam confessionem ac humanam societatem pertinent, et regia et sacerdotalis defendat auctoritas“ (Leo M. ep. 19. ad Pulcheriam Augustam). Veritas haec testimonio omnium seculorum comprobata est. In hac catholicarum nationum vera pietas semper eluxit.

Non sum is, qui amplissima Galliae promerita de America et Belgio velim inficiari vel attenuaret; esto pace mea liberale orbique beneficum, populorum libertatem ferreis alieni arbitrii catenis devinctam educere in lucem ac nativae dignitati restituere: attamen nemo aequus arbiter id justum esse censebit, quod cum populis Italiae recens contigit. Benignis principibus subiectos, pari certe si non meliori, quam Gallia habet, politica conditione gavisos libertatis exsortes fuisse quis reputabit? Illos vero a coryphaeis perniciosissimis conturbatos alios quidem in proposito adiuvare, aliis non obsistere, id sane iniquum, et communis discriminis plenum est, proinde non liberale. Sed quaero ego: dum Gallia Sardis unita Austriam bello impetiit, voluitne vel noluit, ut reliquorum Italiae principum ipsiusque Romani Pontificis populi exemplo Longobardorum exciti contra legitimam potestatem insurgant? Si voluit: tum enimvero cum Austria cruentum, cum ceteris principibus, ipsoque sacerrimo auctoritatis principio clandestinum politicum bellum gessit, ac etiamnum gerit. Si noluit: quid prohibet, ut quod contra voluntatem suam evenit illiberale, id liberali interventu corrigatur? Dicis: Gallia non exstimulavit neque approbavit novos illegitimos provinciarum praesides. Atqui exstimulavit, misit, in subsel-

liis collocavit is, qui Galliae foedere abusus potestatem suam ultra, quam convènit, dilatare cupit. Itaque auctoritas Galliae intercedere deberet, ut Legationes Papae restitui non solum non impediat, verum etiam modo, quo par est, id fieri procuret. Quomodo auctor libelli hos novos praesides legali contra principes oppositione constitutos dicat, qui tamen septimo puncto seditionem civium in Legationibus pontificiis legi, pactis, juribus adversam pronunciavit, justam consequentiam in his duabus sententiis non perspicio. Id vero e praemissis adfirmo: Galliam absque contradictione politica ad restitutionem Legationum Papae faciendam armis intervenire posse.

IX.

Nono puncto auctor libelli natione Gallus ait: Si Gallia ad restitutionem Legationum intervenire nequit, minus id Austriae admittere potest. Ergo nos (Galli) in illo ancipiti Sardico bello 50 millia militum, 300 milliones sumptuum consecravissemus, nos Europam in fundamentis succussissemus ideo, ut Austria a nobis devicta altera post pacem die èxerceat in Italia dominationem, quam habuit pridie nostrae victoriae? Quem in finem trophaea ad Magentam et Solferinum reciderent? quam gloriam profusus militum sanguis? quem fructum heroica Gallorum virtus retulisset, si Austria nunc Florentiam, Parmam, Bononiam armata ingrederetur? Hoc ipsa Austria desiderare non potest. Hoc repugnat nostro principio, quo Italiae supremam potestatem reddidimus, ut eam ad lancem aequilibrii Europei componat. Hoc noster honor non sustinet, ut Austria ad restitutionem Legationum armata manu interveniat. Occidit omnis dominatio Austriae in Italia.

Nolo nationem Gallicam, quam ut generosam et religione plenam veneror, hoc meo sermone vel longe comprehendere. Solum libelli auctorem ut Gallum alloquar illis Plauti verbis de milite glorioso pronunciatis: „Mars haud ausit dicere neque aequiparare suas virtutes ad tuas . . . Me-

mini, nempe illum dicis cum armis aureis, cuius tu legiones difflavisti spiritu, quasi ventus folia, aut panniculam tectoriam.“ Non est semper gloria in felicitate armorum sita, sed in justitia causae, ob quam bellum geritur. Adiuvare populos legitimis principibus refractarios, eosque ad novam aequilibrii lancem componere velle, est revera aequilibrium politicum turbare, Europam in fundamentis auctoritatis politicae ac moralis succutere, hoc est sanguinem humanum inanis gloriae causa profundere. At oro te, evanesceretne hic partae gloriae fumus? periretne hic libertatis italicae, quae tam eximio in provinciis agitatorum tumultuum specimine floret, magno sacrificio comparatus fructus, si Austria avita in Deum pietate, ac in Vicarium eius veneratione ducta ad redintegrandum tuendumque patrimonium S. Petri interveniret? An non posset solenni cautione id praeverti, ut inde in provincias Italiae nil sibi juris vendicet? — Praeterea dicas velim: si omnis Austriae in Italia dominatio occidit, cui Statum Venetum pace Villafrancana retentum adjicies? qua ibi potestate civili Imperator noster praeerit? An illa, qua Pontificem Romae instruxisti? Concedesne, ut Imperator Austriae sit socius novi foederis Italici? et ut talis quomodo, rogo te, foederatum militem deducet Romam ad defendendum principem umbratilem et cives monachos? quibus viis evitabit Anconam ac Bononiam, utne cum duce Garibaldi concurrat? Satis de hoc puncto.

X.

Decimo ait: unicum regem Neapolitanum ut proximum vicinum intervenire posse ad pacandas Papaeque restituendas Legationes. At! at! istud foret inconsultum, quia domi omnibus viribus impedire debet seditionem. Foret perniciosum, quia ipsi velut absolutae potestatis antesignano occurreret hostis Rex Sardiniae libertatis vindex, sicque

bello civili flagrarent omnia. Foret denique illicitum, quia laederet neutralitatem Statibus Italiae impositam, laederet jurisdictionem Europae, cuius est disponere, quae ad securitatem communem et aequilibrium politicum spectant.

Quod ad ista impedimenta attinet, sic habeto. Procul dubio jurisdictio Europae diuturno juristitio indormivit, et neutralitas militari exercitio fervidius vacabat, dum exorto Austriam inter et Sardiniam bello Gallicus miles superatis alpibus in Italiam contendit, ibique non officio neutralitatis spectatorem egit otiosum, sed pro Sardis acriter depugnavit, Austriae Longobardiam armis extorsit, atque turbato, quod Congressus 1815. stabilivit, aequilibrio Europam, prout auctor puncto superiore gloriabatur, in fundamentis succussit. Quod ergo non impedivit Galliam, ut Longobardiam Austriae eripiat, hoc regem Neapolitanum cohibere debet, ne Pontifici Legationes suo interventu restituat? Verum si facere id attentaverit, instat ei domi seditio, foris proximus belli civilis ardebit Ucalegon. Unde vero, amabo, proveniunt haec impedimenta, nisi tum e triumpho hominum seditiones impune excitantium, tum ex illo praeclaro libertatis Italiae redditae fructu? Si cogitari posset, Turcam vel Persam singulari numinis impulsu ad tuendum Christianorum Pontificem intervenire velle, adhuc libelli auctor haberet impedimenta, quae opponat. Si non secus, Alcorani jactaret principia, et Turcis protectionem a Gallis non pridem contra Russos impensam in memoriam revocaret. Ita non quod justum est, sed quod ipse vult, evincere orbique palpum obtrudere nititur. Ita ludit politica, popularique licentiae famulatur, dum res gravissimas non satis puro contemplatur intuitu. Nondum tamen Pontificem et Ecclesiam exspem relinquit, verum grande remedium ostentat in futuro universae Europae Congressu.

XI.

Undecimo puncto statuit: Unica legali Congressus Europei interventione finiri posse quaestiones omnes, quae territoriorum mutationem, pactorum revisionem involvunt. Leges quasvis, quae seu nationes integras, seu eiusdem nationis cives mutuo obstringunt, hic approbari oportere, ut novum ex jure gentium Europearum robur nanciscantur: hic immutari posse, si communi emolumento adversari comperiantur. Competentia huius fori jure gentium Europearum fundatur. Id theoria docet, praxisque confirmat, qua constat, hac ratione exsurexisse principatus, et vel ampliatos vel diminutos fuisse.

Hoc forum 1815. solennem in Italia territoriorum inter principes partitionem determinavit. Huic foro per Art. 19. Conventus Tigueriensis reservata est quaestio Longobardiae, quam Imperator Austriacus pace Villafrancana cessit Galliae, Gallia regi Sardiniae attribuit. Hac de causa oportuit Parisios in 5. Januarii 1860. convocari Congressum Europeum.

Iste Congressus habebit potestatem immutandi, quod Congressus Viennensis 1815. constituit. Viennensis Romandiolam Papae addixit: Parisinus auferre poterit. Competentia eius negari nequit, secus enim dicendum foret, Congressum Viennensem incompetenter egisse, dum magna parte schismaticis constans potentiis Marchiam et Romandiolam Papae adiudicavit.

Neque iuvat dicere, territorium Papae non posse dividi vel alienari. Constat enim ex historia, nullum territorium maiores vicissitudines subivisse, quam patrimonium S. Petri. Romandiolam Stephano II. Papae donavit Pipinus; posthac recidit ad imperium, fuitque grave pomum discordiarum, primo sub Ludovico XII. pro Sede Pontificia revindicatum. Similia fata experta est Marchia. Demum 1796. Pius VI. pace Tolentina Bononiam, Ferrariam, Romandiolam in perpetua tempora Gallis cessit, eodem tempore ditione Avenionensi se abdicavit.

Vel igitur territorium pontificium alienari potest, vel non. Si potest: tum piis ac independentibus (Congressus Europei) spiritibus competit jus de eius maiori vel minori extensione deliberandi. Si non potest: tunc ditio Avenionensis Pontifici restituenda foret. Si Papa justam causam habet, alienationi consentire non obligatur, ipsa ejus imbecillitas erit cuivis fortitudini inexpugnabilis.

Itaque communi utilitate ac ratione politica exposcente potest territorium Pontificium alienari vel alterari. Sola auctoritas Papae spiritualis, sicut omnia dogmata, mutationi non est obnoxia. Coniuncta eidem civilis potestas humanae vicissitudinis manes patitur. Humana quae sunt, velle in divina convertere, foret tantundem, ac divinam potentiam deprimere.

Amplissimam esse Congressus Europei potestatem, non inficior. Imo juxta ambitum ejus supra a libelli auctore descriptum affirmo: tanto eam jure pollere, ut si communis utilitas, rationesque politicae exposcant, possit pacem Villafrancanam revisam Tigurii rescindere, atque Longobardiam bello iniquissimo, foedere praepostero, exemplo perniciosissimo occupatam Sardiniae abiudicare, suoque priori domino restituere. Quo nihil foret communi utilitati convenientius, nihil sanae politicae accomodatius. Ut enim spiritus iste, qui ultimo bello Sardo-Gallico novo quodam vigore convaluit, quippe seditiones excitandi in provinciis, libertatem populorum vindicandi, hocque praetextu belligerandi, ac legitimos principes suis jure quaesitis possessionibus exturbandi, spiritus hic vere communis utilitatis eversivus ut publico universae Europae judicio damnetur ac proscribatur, sane id omnium principum ac populorum plurimum interesse debet. Tali jure usus est 1815. Congressus. Devicto enim communi hoste, violento principatuum invasore, soliorum usurpatore, cuncta eius iniuriosa acta dissolvit, principes populis, populos principibus, reges soliis, solia regibus, possessiones dominis, dominos pristinis juribus restituit. Quem in modum postqnam communis utilitatis causam egit, illam quoque solennem territoriorum in Italia partitionem non arbitrarie, sed radicalis juris fundamento determinavit. Quum talem Congressui Europeo inesse potestatem confiteor, una eidem de-

nego altum quodpiam in regna et principatus dominium, quo eos pro lubitu donare, pro beneplacito invitis adimere vel diminuere possit. Hoc enim communem utilitatem everteret potius quam promoveret, ipsosque vitales politicae succos pestifera lue corrumperet. Itaque dum Congressus Europeus in amplissima sphaera sua communem persequitur utilitatem, avita et indubitata principum jura insuperhabere nequit, et si quid e re communi sive in territoriis sive juribus immutandum decernit, eos, quorum fit praeiudicio, indemnes servare meminit, est namque legum revisoria cum potestate judex non dominus. Huic sphaerae apprime respondit Congressus 1815. Viennae celebratus, dum Romandiolam agnito radicali jure Papae restituit. Ab hac sphaera evidenti errore deflecteret Congressus 1860. Parisios convocatus, si Romandiolam seposita radicalis juris ratione Papae adimeret; quod futurum et iniustae rei evidentia, et principum Europeorum sapientia vetat praesumere.

Non videtur auctor libelli distinguere inter jus et factum, inde facta pro jure, nubem pro Junone venditat. Quocirca pleraeque omnes in hoc puncto assertiones eius fluitant, neque negari plene, neque concedi possunt.

Ab orbe condito multa contigerunt facta, quae tamen nec juris habent speciem, nec, ut in exemplum trahantur, dignitatem. Itaque singulari auctoris cogitandi lege facto posset Congressus 1860. immutare omnia, quae Congressus 1815. stabilivit. Facto posset Pontificem et omnes minores Italiae forsan et Germaniae principes suis ditionibus exuere, statum a Napoleone I. inductum revehere, ut grassatione armorum populi flagellentur, throni et dominationes labefactentur. At haberetne hoc juris robur, quod jura sus-deque misceret? Facto Josephus Bonaparte Romae populum in seditionem

concitavit, rempublicam proclamavit, subinde in regnum Italiae conversam; facto Napoleon I. Pontificem omnibus ditionibus privatum captivum in Gallias abduxit: quis vero adeo hallucinetur, ut istis factis juris titulum attribuat, hodiernis Carbonariis faventem? Facto Pius VI. Pontifex 1796. pace Tolentina Bononiam, Ferrariam, Romandiolam cum jure in ditionem Avenionensem Gallis cessit, sed dolis circumventus, vi et metu compulsus. Vero fuitne ista cessio libera, et jure valida? Facto alienatum erat diversa aetate variisque modis alteratum patrimonium S. Petri, sed jurene id fieri potuit, quod contigit facto? Ista est quaestio, quam auctor libelli mera inductione factorum non demonstravit. Facto et jure Congressus 1815. e schismaticis etiam potentatibus constans de Romandiola Papae restituenda deliberavit, quia et quantopere Papa in hoc judicium consensit. An vero ideo Congressus 1860. de adimenda Pontifici Romandiola pari jure deliberare possit, Pontifice contradicente jure illo, quo omnis laesus et in causam adductus contra judices fundate suspectos potest excipere? Utrobique factum negari nequit, sed in altero necessaria juris conditio deest.

Quidquid igitur auctor libelli nuda recensione factorum affirmavit, elumbe est, nulloque suffultum juris suffragio. Jure autem non factis in futuro Congressu Europeo consolidari debet compages illa magni aedificii Europei, quae et nationes in unum harmonicum concentum, et cives nationum mutuo sibi connectat. Justitia est regnorum fundamentum; ex illa utilitatis communis et aequilibrii politici mensura rite desumitur. Qua in re tolerari nequit, ut Europae captiva popularis aurae praescribat authoritas, verum juris radicalis verique emolumenti communis ratio facem praeferat est necesse.

Nemo Catholicorum, dum patrimonium S. Petri integrum ac illaesum servari desiderat, quae humana sunt, in divina

convertere intendit. Id solum agit, ut res origine, fine ac usu religioso consecrata, pia quadam veneratione colatur, et contra impios adversariorum ausus defendatur. Id vero non est deprimere divinam potentiam, sed implorare clementiam, et providentiam adorare.

XII.

Duodecimo et ultimo puncto recoquit, quae iam puncto superiore adstruxit, videlicet posse Congressum Europeum 1860. Italiam restituere libertati, quam 1815. immolavit; posse 1860. examinare, an Papae haereditariae provinciae ultro relinquendae sint, qui potuit 1815. easdem Papae dare. Post haec inter duas oppositas partes, unam quippe, quae omnia Papae adimere, alteram, quae omnia integra servare vellet, istam proponit in Congressu Europeo procurandam conciliationem:

Inprimis postulat, ut Congressus tamquam essentiale ordinis in Europa conservandi principium agnoscat necessitatem civilis in Papa potestatis. Hoc praecipuum est maiorisque pretii, quam maior vel minor extensio possessorii. Pro possessorio accomodatissima est urbs Roma, in qua constituto Papae reditus necessarii solenni cautione securi reddantur, a Statibus catholicis in tributum venerationis ac protectionis pendendi. Ex omni flore ac robore exercitus italici delecta militia Sedis Pontificiae custos esto. Pro civibus romanis erigatur administratio municipalis, quae Papam omni influxu in civilia negotia relevet. Ab hoc Papae domicilio omnis involutio et armata revolutio procul vapulet, ut dici possit: hic Vicarius Christi, hic concordia, quies et omnis prosperitas dominantur.

Ut talis ad firmandam Papae civilem potestatem reformatio fiat, hoc praestare debet Congressus, hoc ad emolumenta Europae universae refertur. Papatus, ut est divina institutio, nullum ab hominibus periculum reformidat; ut est institutio politica, humanae vicissitudinis torrente volvitur. Macte animo! communis honor et securitas poscit, ne Papatus in sua historice constabilita forma turbetur. Catholicus et Schismaticus pari ad id sollicitudine incumbere obligatur. Independens Status supremi Ecclesiae Capitis non est solummodo res conscientiae et religionis, sed et vadimonium moralis aequilibrii in mundo. Nemo in

hac causa potest esse indifferens, nemo dignior judex quam Congressus.

Sacra Sedes stat in vulcano, Papa in continuo periclitatur seditionis disturbio, nec aliter salvus esse potest, quam alienae militiae tectus praesidiis, quae illum compromittunt, nationale odium in Eum provocant, nec sinunt certum esse de amore ac veneratione populi sui.

Res oppido luctuosa, cui tempestive opem ferre decet. Id ne fiat, soli hostes vel coeci Papae amici optare possunt. Non agitur de minuendo S. Petri patrimonio, verum salvando.

Ad hoc Gallia impendit omnes curas politicas, omnesque vires una cum Principe suo. Napoleon I. per Concordatum reconciliavit Gallos religioni. Faxit Deus! ut haeres ejus reconciliet Papam aevo ac populo suo. Hoc est, quod corda Catholicorum a Deo flagitare debent.

Quod auctor libelli superioribus punctis nullo firmo argumento probavit, hoc frustra reasumsit in epilogo, ut malae causae suae addat momentum.

Ac inprimis violenta omnique conceptui ac ordini juris contraria est illatio ista: Quia Congressus 1815. dedit Papae Legationes: ideo Congressus 1860. jus habet examinandi, an eaedem Legationes deinceps Papae relinquendae sint, necne? Quod fas est ita comprehendere. Congressus 1815. stricto sensu non dedit, sed duntaxat restituit Papae provincias eius. Neque enim jus novum quodpiam, antea non possessum attribuit, verum antiquum legitime possessum, attamen laesione turbatum adiudicavit. Laesus erat Papa non solum, quando urbe Roma a novo rege Italiae occupata extorris in exilium est abductus, verum etiam quando vi, dolo metuque iniusto coactus est, ut pace Tolentina Bononiam, Ferrariam, Romandiolam totamque ditionem Avenionensem Gallis cederet. Hanc laesionem Congressus 1815. selenni decreto sustulit ac reparavit. Quod si Congressus 1860. hunc actum examinare posset, quidni haberet jus deliberandi

de eo, an satisfactio Papae impensa confirmanda sit, vel an laesio Papae illata posthac continuanda veniat? an praeter Legationes ipsa quoque urbs Roma Papae relinquenda, vel an inde relegandus Antiochiam aut Jerosolymam, ut benignae Turcarum tutelae commendetur? Quis hoc ferreum jus non exhorreat? qui sapiens Congressus Europae tale sibi vendicet? Putatne auctor libelli sine iniustitia regi non posse rempublicam? Putatne ad conservandum morale aequilibrium Europae oportere laesiones fieri vel continuari, quas leges naturales et positivae divinae omnium gentium pactis receptae prohibent? Si putat: audiat Ciceronem l. III. de republica loquentem: „Est quidem vera lex recta ratio, naturae congruens, diffusa in omnes, quae vocet ad officium jubendo, vetando a fraude deterreat, quae tamen neque probos frustra jubet aut vetat, nec improbos jubendo aut vetando movet. Huic legi nec obrogari fas est, neque derogari ex hac aliquid licet, neque tota abrogari potest: nec vero aut per Senatum aut per populum solvi hac lege possumus: neque est quaerendus explanator aut interpres eius alius: nec erit alia lex Romae, alia Athenis, alia nunc, alia posthac: sed et omnes gentes omni tempore una lex et sempiterna et immutabilis continebit, unusque erit communis quasi magister et imperator omnium Deus; ille legis huius inventor, disceptator, lator; cui qui non parebit, ipse se fugiet, ac, naturam hominis aspernatus, hoc ipso luet maximas poenas, etiam si cetera supplicia, quae putantur, effugerit.“ Talis sempiterna et immutabilis Dei et rationis lex est: Laesionem ne continues! Haec lex potestne alia esse Viennae, alia Parisiis? alia anno millesimo octingentesimo quinto decimo? alia millesimo octingentesimo sexagesimo? Potestne ei derogare Congressus Europeus, quin se ipse fugiat, suam-

que juris sphaeram protinus exerret? In hac quaestione ipse auctor libelli decernat et dicat sententiam, ita tamen, ut rationi sanae non valedicat.

Venio nunc ad postulata eius, futuro Congressui proposita. Primum est: ut in Pontifice Romano civilis potestatis necessitatem Congressus agnoscat, tamquam essentiale principium, quo rectus in Europa ordo conservetur. Deum immortalem! quam intempestiva, quam periculosa postulatio. Qui cogitare, nedum expectare potest author libelli, ut principes a sacris catholicis alieni profiteantur civilis in Papa potestatis necessitatem, qui sacram eius potestatem repudiant? Quo vero motivo adducti id agnoscere deberent? An quod dicente auctore res haec conscientiae sit et religionis postulatum? At respondebunt illi duce religione sua et conscientia: se ipsos esse caput ecclesiae, et hoc sufficere; Romanum Pontificem nil esse amplius quam patriarcham. An quod affirmante auctore civilis Papae potestas foret vadimonium moralis authoritatis et aequilibrii in Europa? At ipsi replicabunt, systemate illo territoriali: „Cuius est regio, illius religio“ posse rite conservari et authoritatem et aequilibrium morale. Si ergo postulatum auctoris in Congressu propositum fuerit, quid agent isti? Ominari licet. Vel declinabunt quaestionem intempestivam, vel importunitate victi dicent, videri sibi, potestatem civilem in Papa non esse necessariam. Quo in casu incurritur periculum, ut in Vicario Christi illud impleatur, quod in Christo: super vestem meam miserunt sortem. Huc tendit malevolum et inconcinnum auctoris postulatum. Vellem, daret numen, ut hoc ipse perspiciat, atque deinceps consultius scribat et agat. Nihilominus credo ego, principes acatholicos aliud quidpiam in futuro Congressu facturos. Sapientia eorum sperare me ju-

bet fore, ut seposito quovis diversae religionis obtutu definiant, in Papa tamquam vero et haereditario principe Romano potestatem civilem sartam tectamque plene conservandam esse, idque propter consectaria, quae politicum Europae aequilibrium possent convellere.

Alterum auctoris postulatum spectat ad novam potestatis in Papa stabiliendae formam. Ait nimirum: oportere, ut Congressus annuum Papae redditum solenni decreto securum efficiat, quem Status catholici quotannis pendere obligentur. Unde vero istud? e quo fundo vel aerario, nisi tributis populi conflato? Numquid autem populi Statuum catholicorum non satis gravantur tributis? Oportetne illos opprimere eam ob rem, ut Itali nationali sua libertate a Gallis parta exultent? Quae sana politica id svadeat Congressui Europeo? — Praeterea quam diuturna foret haec reddituum papalium securitas? Si namque Congressus 1860. rescindere potest, quod Congressus 1815. de ditione pontificia constituit: an non post annum vel biennium novus iterum Congressus omnem istam securitatem retractare, ac Pontificem omnibus denudatum vitae subsidiis ad libera oblata populi relegare posset? — Quis dein erit iste flos militiae italicae, qui Pontificem cum amore ac veneratione custodiet, nisi idem, qui nunc odio et armis acriter oppugnat? Quis non extimescat, ne haec militaris chlamys pilos duntaxat permutet, non vero mentem? . . . Qualis demum erit illa municipalis administratio, quae principem quovis in negotia civilia influxu relevet, revolutionem excludat, quietem, concordiam et omnigenam prosperitatem inconcusso stabilimento adstruat, et perpetuo conservet? Si talis potest existere: cur non eam Gallia et omnia regna pro salute principum ac populorum ambabus ulnis amplectantur? Ut denique ad omnia puncto duodecimo expressa

respondeam, dico, quod res ipsa clarissima voce ac veritate loquitur: illum, qui in Pontifice, provinciis et legationibus exspoliato, civilis potestatis ludibrium potius quam venerabile auctoritatis moralis exemplum constituit; qui patrimonium S. Petri non diminui, sed salvari putat, dum illud in partes discerptum aliis tribuit; qui Pontificem aevo et populo ita vult reconciliari, ut subiectos cives ab Eius ditione plene avellat, — illum esse non coecum, sed fallacem Judae similem amicum, imo apertum Pontificis hostem. Itaque ex his totaque recensione mea apparet, libellum inscriptum „Le Pape et le Congrès“ non esse aliud, quam impiam simulata pietate constructam machinam, e qua tralucet vafra et versipellis Pontifici, religioni, Ecclesiae totique Europae nocendi ratio.

Reliquum est, ut, qui libellum hunc recensui, usitata auctori exclamatione, brevique oratione finiam. Ergo

Macte animo! Principes, duces et seniores populi! Vos ego minimus civis sic alloqui sustineo: Commune instat periculum; communis causa communem omnium poscit sollicitudinem ac virium contentionem. Fumat vulcanus minax, ne flammis eius brevi erupturis sacra et venerabilis principis Apostolorum sedes aduratur. In hoc vulcano periculosa infernalium ignium fomenta ministrant illi, qui populos in seditiones concitant, tumultusque publicos specioso nationalis libertatis clypeo protegunt; qui legitima solia convellunt, soliis haereditarios principes exturbant, atque electivum quodpiam systema, historica experientia reprobatum, introducere nituntur; qui religionis, disciplinae, virtutisque nervos velut studiis suis contrarios sub fucato pietatis velo incidere adlaborant. Quousque hos cyclopes communi brachio vibrata Herculis clava non concusserit: tamdiu certum im-

pendet periculum, ne vulcanus subterranea connexione omnes Europae montes reddat ignivomos, magnumque erumpat incendium, quo omnis auctoritas, aequilibrium Europae, et salus populorum conflagret. Id ne fiat, vera pietate, consilio, sapientia, fortitudine concordi, cunctisque viribus satagite ac providete. „Illi enim, qui vera pietate praediti bene vivunt, si habent scientiam regendi populos, nihil est felicius rebus hnmanis, quam si Deo miserante habeant potestatem.“ Et aureum Horatii non fallit dictum, omnibus omnium potestatum atriis atque postibus insculpendum:

Vis consilii expers mole ruit sua:
Vim temperatam Dii quoque promovent
In maius: iidem odere vires
Omne nefas animo moventes.

(Carminum l. III. Ode IV.)
